DE
HYSTERIA NONNULLA
PRAECIPUE DE VOMITU URINOSO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
DIE X. MENS. DECEMBR. A. MDCCCLV.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

LUDOVICUS ALEXANDER FINSCH
RADEFELDENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
H. OTTO, MED. STUD.
R. JACOBI, MED. STUD.

HALIS SAXONUM,
TYPIS PLOETZIANIS.

VIRO

BENIGNISSIMO OPTIME MERITO

HENRICO FRIEDRICH

APUD FREIRODENSES PASTORI

TUTORI ET PRAECEPTORI SUO

HUNC LIBELLUM ACADEMICUM

GRATISSIMI ANIMI DOCUMENTUM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

In materiam, quam hac dissertatione tractandam mihi proposui, peculiari quodam casu permotus sum, quem tum in instituto policlinico, tum in nosocomio Lipsiensi observare nuperrime mihi licuit. Quum enim ad hysteriam pertineat, tamen tam singulari ac mirabili est specie, ut similem raro, parem haud scio an nusquam in operibus ad hysteriam spectantibus descriptum invenire queas.

Antequam vero ad rem ipsam aggrediar, pauca quaedam generaliter de hysteria praemittere juvat, specialibus enim abstineo, quum nec tironis esse censeam, nec vires sufficiant, praesertim cum tenui opusculo, quale hoc est, diversis sapientum arbitrorum sententiis de hysteria novam addere et controversias diu ortas et nutritas judicio adhuc inaudito componere. Ceterum phaenomena, quae nobis causas illius morbi ab origine et quasi a fonte repetentibus se offerunt, tot tamque disparia sunt, ut breviter ea enumerare, et in ordinem aliquem redigere difficillimum videatur.

Itaque non possum, quin praeceptoribus veneratissimis Ruete et Wunderlich, qui ea, qua excellunt, humanitate observandi occasionem mihi praebuerunt, et Weber, qui vestigantem summa benevolentia duxit et consilio librisque liberalissime adjuvit, gratias agam quam maximas.

Eadem de causa libere profiteor, me hunc libellum non sine magno quodam pavore verecundiaque in publicum proposuisse, quippe quum non sim nescius, me per hoc temporis spatium, quod in artis medicae studium impenderim, eam mihi scientiae copiam comparare non potuisse, qua res, quam proposui, plane exquiratur perfecteque dijudicetur. Itaque si quae Lectori Benevolo obviam fient, quae minus aut probata aut explicata videantur, boni, quaeso consulat.

Nonnulla de hysteriae historia.

Hysteriam jam antiquitatis medicis notam fuisse, patet ex eo, quod jam in scriptis pseudohippocraticis describitur. Atque antiquiores quidem fere ad unum omnes neuropathias, quibus feminae afficiuntur, hysteriae nomine continebant, quum easdem in virili sexu hypochondriam appellarent. Caussae hysteriae iis videbantur in utero sitae, quod organon migrans habebant, quasi totum corpus pervagari et hic et illic locum capere posset. Sic exempli causa Sennert apud feminam se uterum in pylori regione distinctissime sensisse fabulatur. Initio saeculi XVII status hystericos affectionibus cerebralibus adnumerandos esse contendebant, quod praeter ceteros a Lepois et Willis scriptoribus illius aetatis pro certo affirmatur. Primum, quod sciam de hac materia librum Louyer-Villermay (Traité de maladies nerveuses 1816) vulgavit, quem deinceps multi alii secuti sunt, quorum opiniones de sede atque origine hujus aegritudinis valde inter se discrepantes inveni. Omnes, qui idem suffragium tulerunt, hoc loco enumerare longum est. Qui scire cupit, in libris, quos Brodie, Dubois d'Amiens, Brachet, Joerg, Forchet scripserunt, maximam partem inveniet.

Hodie inter medicos stat sententia, hysteriam esse symptomatum quorundam aggregationem, quae plerumque forma paroxistica apparent et morbos simulant multiplices, ortam ex aliqua functionum regularium perturbatione, comitatam durante animi affectu, aucta clarae urinae secretione, ceterum flatu viscerum et intestinis cucurientibus, nec non angore suffocationis. Hysteria quidem morbus pertinacissimus et saepenuvero insanabilis est, nec tamen per se mortem involvit neque in mortuis notam relinquere solet, ex qua perspici ac derivari queat.

Nostris temporibus nescio an pauci sint, qui contendant, hysteriam morbum feminis proprium esse. Praeter ceteros Anglici medici inveniuntur, qui affectionem illam non proprie in feminis tantummodo animadverti affirmant. Sic exempli causa „Copeland" dicit „se quidem etiam in virili sexu in casus hysteriae incidisse, sed tantum in viris morbis et immodico labore debilitatis nervosos impetus iterum et saepius observasse, qui aperte speciem hysteriae prae se tulissent. Quin etiam in pueris hysteria observata est, plerumque tamen in praematuris et iis, quibus perpetuo feminae hystericae sub adspectum veniebant.

Caussae cur praecipue feminae his affectionibus laborent, tum in eo sita videtur esse, quod organa sexus feminini valetudinis perturbationibus crebrius succumbunt, quibus organis propter majorem animi corporisque sensibitatem feminas vehementius offendi constat, quam mares, tum etiam, quod centrale nervo-

rum systema apud feminas multo facilius irritari potest, quam vires.

Quodsi verum est, hunc morbum ex sententia plurimorum, qui studium accuratius in eum contulere, proficisci ex nimia nervorum irritabilitate, eorum maxime, qui inserti sunt organis sexualibus, ergo etiam utero, facile est intellectu, menses turbatos, ineuntes, cessantes, impetus illius morbi creberrime elicere ac nutrire, unde certo colligi potest, hysteriam una cum affectionibus istis cessantibus evanescere. Nihilo secius constat, morbum et ejusmodi feminas aggredi, quarum utero natura et regula manet, ac crebra pertinaciaque exempla in propatulo sunt, quum menstruationes jam cessassent. Hysteriae initium, forma, gradus, tempus denique, per quod durat, plane diversum est. Saepe in iis morbum inveniemus, quae pubertatis periodum jam superarunt, usque ad decrepidam feminarum aetatem, creberrime tamen ab anno vitae duodevigesimo ad vigesimum, nec non a tricesimo octavo usque ad quadragesimum. At quamvis hysteria in omnis generis constitutione locum habere possit, tamen in robustam corporis structuram et plethoram maxime videtur convenire. Omnino in nobilioris ordinis homines atque eos, qui procul a vita dura et laboriosa, delicato et luxurioso vitae generi dediti sunt, saepius grassatur, quam in agrestes et rusticanos, paucis contentos et naturali victui adsuetos, quamquam exemplis satis superbe constat, nulli mortalium generi prorsus eam parcere. Supersunt aliae hysteriam excitandae caussae et quasi radices: onania et excessus

in Venere, e contrario: nimia abstinentia, falsa desideria, elusae spes, varians coeli temperies, solitudo, angustiora vestimenta, imitatio, i. e. adspectus hystericorum impetuum apud alias, denique id genus alia, quae enumerare longum est

Hysteria tum in primaria tum in secundaria forma observatur, crebrius tamen in secundaria, quum ad quemlibet morbum accedere et cum eo complicari possit. Maxime tamen sunt chlorosis, anaemia, dolorosi morbi cujuscunque generis, cerebri et medullae spinalis affectiones, persaepe etiam turbationes in genitalibus, quae vel in iis hominibus, qui ab initio carent dispositione, impetus hystericos evocare solent.

Duo sunt omnino modi hujus morbi, diathesis hysterica et semper minantes acres eruptiones paroxismi, quae varia symptomata praebent. Etenim prior salva integritate organorum et telorum affectorum in aucta totius corporis vel singulorum membrorum sensibilitate constat, quum in ejusmodi hominibus sufficiat, animi attentionem in organon aliquod flectere, quo fit, ut subito morbi symptomata hoc loco evocentur. Aegroti valde solliciti, inquieti et morosi sunt, ac repente ex hilari animi conditione in moestissimam imo in melancholiam et stuporem cadunt. Somnus interrumpitur et interdum agrypnia locum obtinet, visus auditusque organa irritabilia vel debilitata vel paralysi aflecta sunt. Queruntur aegroti plerumque de continuis doloribus maxime in regione occipitis (clavus hystericus), dorsi, mammarum, quae tumidae sunt, ut jam saepe propter carcinomatum suspicio-

nem earum exstirpatio facta sit. Ceterum B. C. Brodie opinatur saepe articulationes membrorum corripi dolore et hyperaesthesia, tumescentibus telis illius regionis, ut periculosa arthrocace videatur existere, quum tamen etiam pluribus annis post ne minima quidem telorum commutatio pathologica inveniri queat. Aegroti de coxae ac genuum articulationibus maxime queruntur, cujus doloris sedes in cute esse videatur, calore, motione, tactu multo crescente.

Hae affectiones sensim oriuntur, sensimque cessant, cujus rei plura exempla praebent: Johnson,[1]) Watson.[2])

Organa digestionis ratione plane diversa afficiuntur. Incipit morbus strepitu et murmure in abdomine, accedit dolor quidam, intestinis quasi adstrictis, qui per stomachum et oesophagum adscendere videtur, et in laryngis regione dysphagiam et suffocationem efficit (nodus s. globus hystericus), qui status per horas, per dies durans maxime vomituritionibus vomitibusque ingruentibus terminatur. Ventriculus valde irritabilis est, ita ut aegroti edendi desiderio careant et cibo sumpto, taedio vomituque torqueantur. Non est putandum, hosçe impetus disturbata digestione vel aliena succi gastrici qualitate commoveri, nam cibi sumpti non evomuntur et memorabile dictu est, quamdiu omnia illa salva nutritione tolerentur.

---

1) Medico-chirurgical Review 1838. Juny.

2) Observation on the action of the Broomseed in dropsical affections. London 1835.

Nulla tamen functio hoc morbo crebrius laeditur, quam respiratio. Etenim etiam lenissima motione, levissimo eventu, rumore, inquiete, euro respiratio accelleratur, tussis tenax, asthma, strangulatio hysterica incitatur. Quae molestiae, quantumvis vitae periculum ferre minentur, tamen plane innoxiae sunt, et raro evenit, ut mors pulmonum paralysin sequatur, id quod se Tott[1]) observasse confirmat; nec tussis perdurans, nec ictus in pectore pulsantes phthisin efficiunt.

Nec minus hysteria in organa uropoetica influit, quum urina, et colore et quantitate, et qualitate crebram subit vicissitudinem. Urea et albumen auctum est, sales fluctuant. Non raro spasmus vesicae ingreditur, qui interdum talem obtinet vim, ut occultam organorum illorum inflammationem suspicari possimus, doloresque per regionem pelvicam usque ad renum progreditur. Ad hoc ischuria reperitur ex neglecta urinae emissione, quum fiat, ut vesica supra modum extendatur et medicus cogatur, urinam ex sana vesica cathetere educere. Sin vero extensio illa vesicae per aliquod tempus duravit, exoritur saepe chronica membranae mucosae inflammatio cum larga muci secretione, qua urina condensatur atque ischuriae favetur. Saepenumero secretionis anomaliae existunt, praeterea ad haemorrhagias praecipue ex genitalibus dispositio.

Paroxismi hysteriae diverse sese manifestant; sunt vel exacerbationes omnium phaenomenum, quae supra commemoravi, vel offerunt alios status diversis

---

[1]) Elias v. Siebold. Journal für Geburtshülfe Band XVI, Heft III. S. 613.

opportunitatibus adducuntur, vel sponte irrumpunt adeo, ut, febris intermittentis instar, quotidie certis horis redeant, quod Carus,[1]) Joerg,[2]) Rostan[3]) multis illustrant. Creberrime se ostendunt omnis generis spasmi, qui interdum alios morbos simulant, epilepsia, tetanus, chorea, opisthotonus, hydrophobia, interdum etiam certo loco inhaerent, ut faciei distortio, spasmus glottidis, contractio diaphragmatis, spasmus vesicae.

Praeterea in status hypnoidos incidimus, in lethargiam et agrypniam, somnum interruptum, sonambulismum somnum magneticum imo asphyxiam.

Mirari quis possit, exitum hysteriae fere semper esse periculo liberum; est vero chronicus morbus, tali vehementia, ut vitae periculum imminere putemus, nihilominus letalis haberi nequit. Quodsi Louyer-Villermay[4]) puellam quindecim annos natam, paroxismo per aliquot dies imperitante, et catameniis subito interruptis, esse defunctam, talis exitus regulam exit, quum, si mors accidit, hysteria loco complicationis secundarii letiferi morbi sit habenda. Docet enim experientia morbos, interveniente diathesi hysterica in valetudinem abiisse, ubi de vita servanda jam desperatum sit. Sic aegrotantes paralysi, dysphagia, solutissima debilitate sanatos, imo etiam phthisi laborantes memorabiliter recreatos videmus, ut phthisis in hysteria complicata tardius procedere videatur.

---

[1]) Lehrbuch der Gynaekologie. Aufl. 3 Thl. I. 215.
[2]) Handbuch der Krankheiten des Weibes. Aufl. II. 277.
[3]) Gazette des hôpiteaux. Paris 1836.
[4]) Traités de Maladies Nerveuses. p. 70.

Anatomia pathologica de vera hujusce morbi na tura pauca tantum aperuit. Ubique commutationes in organismo repertae vel verae caussae hysteriae, vel ejus complicationes habendae sunt, quum in plerisque casibus chronicae hysteriae ne ulla quidem nota in iis organis, quae pro sede morbi judicata, sit inventa. Saepe ovaria tubae, uterus aegroti reperiebantur, ventriculus vietus, duodenum laxatum, colon et rectum obstructum, pancreas et glandulae mesentericae auctae, hepar induratum, cor amplificatum, lien hypertrophicus, cerebri substantia vel obdurata vel emollita, sanguinis vasa dilatata, ventriculi liquore completi. Atque etiamsi negari nequit, hujus et aliusmodi mutationibus hysteriae morbus posse excitari, constat tamen haec mala cum nervoso morbo minus esse connexa, ita ut loco complicationis habeantur, necesse sit.

Diagnosis.

Porro quod attinet ad hysteriae diagnosin profecto non semper facile est, hystericas affectiones discernere ab aliis morbis, quum iis proprium sit, quodlibet membrum afficere, tot symptomata monstrando, quot morborum signa sunt, a quibus loca illa corripiuntur. Attamen hysterici singularem quandam speciem ac habitum prae se ferunt, qui ab aliorum morborum habitu valde discrepat, quem qui saepius hystericos personas conveniebat, vix ignorare potest. Jam relationis, quas cum aliis communicant curam et misericordiam captare student, admirationis cupidi sunt,

alius propter aegritudinem, qua laborat aliter queritur, totus symptomatum complexus talis est, ut de diagnosi vix dubitari possit. Ante omnia caussarum ratio habenda est, nam corporis animique irritabilitas tanta est, ut levissima causa, intercedente terrori, aerumnae, stimulis amoris, aliis denique animi concitationibus sese dedant. Consilia subito mutant, vagi atque incerti sunt, ut jure dici possint: constantes in inconstantia. Pulsatio frequentissima est, respiratione minus accelerata atque exacerbatae remittentisque febris alternatio talis videtur, qualis merae inflammation inon propria esse solet.

Simillima est hysterico paroxismo haud dubie epilepsia, ut facile falli possimus; nihilominus notae quaedam diagnosticae inter utrumque morbum constitutae sunt. Hystericus quidem impetus nunquam tam subito, tantaque celeritate irrumpit, quam epilepticus, qui praeterea clamore aliquo et ululatu incipit, neque hystericus speciali caret ansa, qua se manifestat. In hysteria ceterum spasmi clonici, in epilepsia tonici sunt, musculorum vigore plane depresso. Convulsiones hystericae formis multiplicibus apparent, ac nisi simulatae, tamen speciem prae se ferunt simulationis; epilepsia constantem praebet formam. In hysteria observamus inter gemitu inspirationis, pupillae musculique statum regularem obtinent, aegroti conscientiam servant impetuque praeterito cunctae animi facultates redintegrantur; in epilepsia oculi contorti, pupillae dilatatae, larynx spasmice clausa, ut aegroti spiritum reddere frustra conentur, post impetum diuturnus sopor,

ex quo aegroti sero eventique immemores expergiscuntur.

Licet omnes has notas diagnosticas in promptu habeamus, exstant casus ubi utro de morbo judicandum sit, dubitamus, maxime si hysteria cum epilepsia sese consociat. Exempla offert Beau.[1])

Ceterum hypochondria et hysteria ex arbitrio Boerhavii, Lepois, Whytii idem morbus habita est, quantumvis jam Hippocrates, Galenus, Celsus easdem plane diversas affectiones demonstrent. Ac revera utraque discernantur nec esse est; nam hypochondria viros potissimum corripit; incipit organorum digerentium molestiis sensimque ad majorem crescit gradum, quod in hysteria nunquam fere observatur. Inter syncopen et hysteriam hoc discrimen intercedit, ut pulsus cordis amplius sentiri queat, conscientia evanescat, et extremitates rigescant. In calalepsia oculi aperti manent, bulbi immobiles, et extremitates situm obtinent, quem inchoante impetu habuerant, vel etiam in libidum situm redigere possunt.

Prognosis.

Quamvis hysteria molesta ac tenacissima aegritudo sit, quae annorum decursu et medici cura removeri nequeat, tamen vita non in periculo est. Si quidem singuli impetus brevibus intervallis sese subsequuntur organismi vigor certe dibilitatur, corporis plethora evanescit et aegroti macrescunt. Verum

---

[1]) Archive générales de Medecine Paris 1836 Juillet.

enim vero omnes ejusmodi molestiae temporis lapsu diminuuntur, corpus ambitu crescit, patientum vires redintegrantur. Saepenumero sanatio multo prius evenit, maxime puellarum hysterice affectarum, in quibus valetudo cum redeunte menstruatione, sterilium uxorum, inter graviditatem etiam redire solet.

Therapia.

Raro tantum sanatio efficitur arte et hystericorum therapia jure inter difficillimas numeranda est, quum tam varias et contra se pugnantes indicationes offerat, ut uno alterove symptomate fauste oppresso, vice eorum nova subito appareant.

Ante omnia caussae morbi investigandae, et, si fieri licet, opprimendae sunt, si tamen hereditaria dispositio adest, atque corpus onania excessibusque in Venere fractum, vix de plana sanatione potest sperari,

Vita diaetetica convenit cum singulis morbi conditionibus: aer purus, corporis commotio apta et sufficiens, alimenta nutrientia, digestu facillima, vestimenta commoda, domicilium sanum et aridum, idonea animi occupatio, otio somnoque firmata, maxime cujuslibet excitationis Venereae evitatio. Salubria sunt frigida balnea, domicilii commutatio in maritimas regiones, itinera. Ceterum in hysteriae complicatione singulariter observanda et organorum sexualium maxime ratio habenda est, quantumvis hoc minus sufficiat, ut Villermay docet, qui, quod hysteriam uteri affectionem esse censet, omnium aliorum organorum conditiones immerito negligere videtur. Cui contradicit Georget,

qui hunc morbum in cerebro fundari opinatur, unde colligit, vanum et plane supervacaneum esse, stomachum, intestina, uterum respicere. Ante omnia paroxismi et apyrexiae curatio discernenda est; prior quidem in momentum effectu est, impetus minuere, et finire studet, ceterum prohibere, ne aegrotus se ipsum violet.

Creberrime Ammoniacalia (ad odorandum), ac si remedia ultra placent, narcotica.

Pomme gelidis clysmatibus ac glacie in caput applicata, vel frigidis adspersionibus se paroxismos asseverat saepius prohibuisse; item electricitate. Ubi plethora, suppressio consuetae evacuationis, durus et frequens pulsus, venaesectione (Eisenmann) vel hirudinibus et cucurbitulis in occipite vel cervice admotis (Elliotson) meliorem conditionem acquirere conabantur, praecipue in casibus, ubi cerebrum et medulla spinalis irritationi, sanguinis congestione, exposita erat.

Saepe autem omnia illa remedia nihil efficiunt; quod si patet, impetus interdum impediri possunt eo, ut terrorem injiciamus aegrotantibus, quod Boerhavii exemplum satis docet, qui ferrum candens parari jussit, et si forte impetus redirent, aegrotas ad usque ossa urere minatus est, qua machinatione malum funditus amotum esse refertur. Quum vero illud effici queat timore rite impulso, tamen firmum consilium, animique constans voluntas sufficit ad impetus morbi reprimendos. Si porro apyrexia invaserit, vix medici curationem aliquid valere puto.

Nihilominus plurima artis remedia adhibita sunt, quibus alia utilitas, nisi quod ad curationem acceleran-

dam conferant, vix capi posse videtur. Ejusmodi sunt nervina, remedia acida, emetica, purgantia, roburantia.

C a s u s.

Guilielma Opitz, triginta et septem annos nata, uxor, Stoetteritziensis. Pater ejus anno sexagesimo octavo phthisi obiit, mater adhuc vivit, bonaque valetudine gaudet. Sub finem anni vitae primi tempore florescentium variolarum se aerum nosum?! factam esse refert, quo casu facultate loquendi, cujus jam potens fuerit, privatam esse asseverat. Ad usque annum decimum sextum prospera erat valetudine, tamen duabus glandulis lymphaticis suppurantibus collo se laboravisse narrat. Eodem anno hiemis tempore tumore crurium per tres menses durante affecta est. Serius febri intermittente urinae molestiis, urinaeque secretione diminuta patiebatur. Confirmat substantias urinosas interdum evomuisse, quas saepius sanguinis mixtas esse dicit. Porro memorat, ob cardialgiam in nosocomio versatam esse. Diu est, ex quo cum marito rixas alit, contenditque data occasione in latus dextrum ab eo pede esse calcatam, quo tempore ibi dolores sentiat. Menstruatio anno vigesimo quarto incepit, quae intermittens per tres vel sex menses, plerumque irregularis erat. Tres peperit libros; tertium ante sex annos, quo facto periodus cessavit. Liberos omnes suo lacte nutrivit, liberum natu minimum per menses quindecim. Evomitus sanguinolentus tum quatuor vel sex hebdomadum intercessu sese iteravit, nec cessavit, nisi graviditatis

et uberum lactantium tempore et quoties venaesectionibus utebatur, quod singulis mensibus facere censuevit. Ante tres hebdomades, quum in latus sinistrum cecidisset, evomitus regressus est, comitatus vehementissimis in stomachi regione doloribus, lassitudine, siti, cephalaea, vertigine. Quare patiens die V m. Mart. 1855 in policlinicen Lipsiensem venit, ubi status praesens haec obtulit: Corpus medium, debile, cutis pallida aeque ac labia oris, et conjunctivae palpebrarum epitelium sanguine evacuatum. Thorax: satis longus, satis latus', parum sed aequaliter fornicatus, cutis cucurbitulorum cicatricibus undique obtecta. Auscultatio et percussio normalis.

Alvus: regia pylorica expansa, inter tactum dolens.

Extremitates: in superioribus sedecim venaesectionum cicatrices.

Therap. Emuls. oleos. c. Aq. lauroc Sinapism. in regione pylor.

Die 20 m. Mart. Status melior, stomachi regio minus dolorosa, tamen patiens contendit se per quatuor dies sanguinis multitudinem ex vagina profluentem amisisse. Neque externa neque interna organorum sexualium disquisitio eorum aegritudinem patefecit, tamen eo sanguinis profluvium adaugebatur. Inde injectio solutionis ferr. chlorat. facta, patienti quietus in lecto situs, pelvi sublata, commendatus et injectio iterata est. Die 27. Patiens affirmat sanguinem non diutius profluisse, se tamen sanguine saepius evomuisse, vertigine antecedente, pulsationi abdominali et siti subsequente. Patiens habitu est anaemico praedita, de cephalaea

queritur, et in venis jugularibus sibilans strepitus auditur. Faeces diarrhoicae tenesmo evacuuntur.

Ther. Quietus in lecto situs, cibi dentur fluidi, digestu facillimi. Vin. rubr.

Die 29. Contendit plures sanguinis uncias ex naso profluentes emanasse, nec tamen e stomacho. Gingiva est pallida neque scorbutica.

Th. Decoct. chin. c. Elix. acid. Hall.

Die 2 m. Apr. Affirmat patiens hodie sanguinem ex aure manasse et ex aliquot diebus se urinam multa molestia reddere. Urinam refert sibi ab obstetrice remotam esse, quo facto, ventrem antea tumidum esse collapsum. Inde ex iis molestiis in dextro femore dicit se habere convulsiones dolorosas et tonicas. In aure praeter siccatam sanguinem nihil, quod profluvium indicet, reperiebatur; ventris percussio sonum tympaniticum modo in dextra regione epigastrica satis depressum praebet. Urinae ad multitudinem ℥ XII remotae nec albumen, nec sanguis inest. Queritur de lassitudine et congestionibus ad caput.

Th. Pulv. secal. cornut. calida cataplasmata dextro epigastrio imposita, pedum lavamenta, sale et cinere immixta.

Die 3. Asseverat per duas horas se spasmos tonicos habuisse, comitatos animi defectu, et haemorrhagiam ex altero aure nascentem. Urina bis per diem cathetere removeatur necesse est, obstructio alvi, et per biduum torpor dextri femoris. Dolores in regione renali itemque dextra ventris portione secundum ureterem, nec non ischuria. Convulsiones, quae quo-

tidie aegrotam semel occupant, durant per spatium quindecim vel viginti minutorum. Quum versaretur in policlinice, incommoda valetudine invadente, tetano et opisthotono afficiebatur, dentibus frendebat et manus convolvebat. Respirationi spasmus glottidis impedimento videretur, oculi contorti, pupilla coarctata. Expergefacta, ignara erat illius impetus, nec tamen prae languore domum redire prohibebatur.

Th. As. foedit. Camph. Morph. acet.

Hicce impetus opinionem de hysterico paroxismo confirmabat.

Linguam jam e sex hebdomadum spatio dextrorsum aegre vergit; extremitas inferior dextra etiam torpidior est ac paene paralitica, ut inter ambulandum paululum protrahatur. Iidem dolores, eadem ischuria. Urina cathetere remota, explorata et normalis inventa. Jam quum eodem tempore catamenia intervenissent, mammae exploratae sunt, e quibus compressis albus et lacteus liquor rorabat, cujus corpora collostri, globulique lactei, quum microscopii suppositus esset, statim inventi sunt. Haecce secretio, quoque mense repetita, de ipsius patientis asseveratione per novem dies durabat.

D. 10. Pallidus color perseverat; convulsiones semel tantum apparuerunt. Ante tres dies haemorrhagiam ex organis sexualibus crebrasque congestiones ad aurem se habuisse fabulatur. Attamen neque in genitalibus neque in aure aliquid reperitur quin cum statu regulari convenit. Dicit urinam sponte non abire, unde cathetere evacuetur necesse est. Defaecationes regulares.

Th. Pulv. secal. cornut. Mixt. c. kal. acetic.

D. 12. Affirmat caruisse convulsionibus, haemorrhagia ex utero abundasse; dextrum brachium, dextrumque femur torpore correptum. Ex die hesterno urinam cathetere removeri non posse contendit. Putat permultas molestias vi taeniae derivandas esse, qua forsitan laborat, quum contendat ejus partem ante quatuor hebdomades evasisse. Venter inflatus, fluctuatio nequit observari. Vehementes dolores in dextro latere, qui pressione augentur, vehementissimi in regione renis ureterisque. Columna vertebrarum a quinta vertebra dorsali usque ad os sacrum dolorosa. Ex die decimo h. m. nulla defaecatio.

Th. Ol. ricin. Mixt. c. kal. acet. Solut. ferr. chlor. ad injectiones.

D. 16. Contendit aegrota ol. ricin. evomuisse, urinae paulullum tantum catheteris ope emittitur; dolores item. D. 15. Altercatione in tonicas clonicasque convulsiones cum opisthotono dicit se incidisse. Profert trunculum vermis alicujus regressi, qui ascaris lumbricoides videtur esse; contendit se vomuisse sanguinem. Dolores in regione renali, secretio lactis perdurat; in policlinice impetum spasmicum per horam unam ac dimidiam patitur.

Th. Pulv. secal. cornut. Morph. acet.

D. 19. Impetus repetitur, urinae quotidie ℥ IV — VI cathetere removentur, torpor et anaesthesia extremitatum — sanguinis extravasatio in brachio cessat — dolores in renum et vertebrarum regione vehementes — dextrae auris difficilis auditus. Omnia videt quasi nebu-

losa; appetitus rarus. Dyspepsia. Die XX domi visa aliquoties substantias sanguinolentas et urinosum liquorem se evomuisse deponit. Quum quaereretur, unde sciret, quî urina saperet, memorat hac se tempore priori inter catarrhum chronicum gargarizavisse. Aer exhalatus nec ammoniacalem nec urinosum habet odorem, neque cutis secreta odere aliquo affecta sunt. Erythema nullo loco animadverti potest; urina catheteris ope paulullum removetur. Ex hesterno die auris sinistrae auditus difficilis est. Sitis vehemens, cutis faciei pallida atque oedematosa. Aliquantulum liquoris ejecti disquisitum, urinae oderem tulit, turbulenta, flocculis mixta, reactione alcalica, urina albuminis expers est. Observatione microscopica ingens multitudo crystallorum, quos analysis chemica phosphate magnesiae cum ammoniaco constitutos probabat, ac vegetabilium reliquiae discretae sunt. Cellulae epiteliales tali raritate reperiuntur, ut, utrum liquor ille epitelium vesicae mixtum, an potius stomachi sit, vix liceat cognoscere. Hac rerum conditione et symptomatis uraemiae absentibus, suspicio apparuit, patientem substantias urinosas ventriculo haudquaquam ejaculatam esse. Quum tamen referret nunc fere singulis horis vomitum emittere, die XX domi visitabatur necopinato et expectabatur, dum vomitus iteraret. Paulo post accuratissime observata revera evomuit. Evolutum vase exceptum ad methodum, quem Liebig invenit, exploratum est. Liquor inventus est pellucidus, flavo colore eodemque modo sese habuit atque urina. Aegrota contendit immisso cathetere nil urinae pro-

fluere, atque dolores, quibus simulabat se affectam esse et regionem renalem et ureteralem singulis impetibus ingredi. Uraemica symptomata non aderant, neque ullo loco urea crystalli inveniri poterant. Membra non tumebant oedemate. Quamquam aegrota non adeo erat caduca, ut cogeretur, perpetuo lecto incubare. Quum igitur quaereretur, utrum urinae secretio revera esset suppressa, an potius urina pota evomeretur, quod verisimile videbatur, quum etiam liquori Uroxanthin immixta esset. Ill. Wunderlich rogabatur, ut eam reciperet in nosocomium ad accuratius observandam. Meabat igitur aegrota die XXV mens. Apr. ad urbem a pago suo, qui dimidium horae procul jacet, unde autem curriculo vehebatur in nosocomium.

Ibi cum advenisset, apparuit pallido faciei colore, extremitatibus rigidis et ut videbatur, sui non conscia fuit. Pulsus et respiratio non accelerata. Lecto imposita vires mox recepit et usque ad vesperam convulsionibus superiorum extremitatum convellebatur.

Status praesens vespere d. XXV m. Apr.

Aegrota media statura est, corporis cutis pallida ac nitens, laxe affixa, tenuis, normaliter elastica; facies livida et ephelidibus tincta; tenuis per narium alas respiratio. Visus inturbatus, dextra aure minus acer auditus quam sinistra; olfactus gustusque organa normalia.

Collum: in dextra parte auditur lenis quidam strepitus, quem nos dicimus „Nonnengeräusch.“ Tonus carotidis primus productus.

Thorax: justis finibus continetur, regio clavicu-

laris et jugularis depressa, angulus sternalis prominens; percussio clarum sonum in utroque latere, in dextro usque ad inferiorem sextae, in sinistro ad quartae costae marginem vergentem docet. Auscultatio respirationem declarat vesicularem. Mammae languidae, satis parvae, ex ambabus papillis liquor tum sero, tum lacte similis exprimi potest.

Cor: a quarta costa usque ad superiorem sextae marginem situm, 2″ procul a sinistra sterni margine. Pulsus cordis inter quartam quintamque costam sentiri licet.

Dorsum: columna vertebrarum ad dextrum latus leviter curvata, cucurbitularum cicatricibus obtecta. Percussio et auscultatio normalis.

Venter: modice expansus, tonum tympaniticum clarum resonans; in dextra parte ad lineam albam tactu offensibilis. Hepar et lien normali loco collocati neque amplificati. Extremitates crebris convulsionibus ad flexores digitorum pedis et manus pertinentibus affectae. Dextrum latus acrem tactum non sentit. Lingua pura, humida, pallida. Urina cathetere immisso, languide flavo, pituita turbata, absque albumine. 400 C. Centim.

D. 26. mane: T. 29, 7. P. 78. R. 32. per noctem somnus, sub lucem evomitus puri alicujus flavique liquoris, odore urinali affecti. ℥jj Urina nulla.

Custodibus, iisque, qui in eodem conclavi aegri jacebant demandatum est, aegrotam observare; omnia vasa ex ejus propinquitate remota sunt, ne iis utatur ad bibendam urinam.

Sub vespere: T. 29, 3. P. 92. R. 20. Vehemens cephalalgia hora antemeridiana XI. Urina 1000 CC. uno tenore micta.

D. 27. mane T. 29, 9. P. 92. R. 20. Semel evomuit liquorem flavum, acide olentem, floccosum, cui acini passi Corinthii immixti sunt. (Confitetur patiens se libum ab aliquo accepisse et edisse. Urinam hesterno vespere 500 CC. emisit.

Vespere: T. 29, 5. P. 84. R. 26. Evomitus liquoris acide olentis minori quidem quantitate, globulis oryzae referti, postquam patiens paulo ante jus oryzanum edit. Urinae 600 CC. flavae. D. 28 mane: Somnus bonus, cephalaea; defaecationes fuscae liquidae, clysmate applicato. Hesterno vespere et hodie, sumpto lacte, vomitus, qui lac coagulans continet. Noctis hora XII tonici extremitatum spasmi.

Vespere: T. 29, 6. P. 76. R. 30. Venter tumidior, evomitus juris panis sitigenei, quod jamjam hauserat. Urina 550 CC.

D. 29. mane: T. 29, 6. P. 84. R. 32. Evomitus liquoris acide olentis anaesthesia lateris dextri evanuit, venter dolorosus — Lingua humida, aspera. Urina clara 300 CC. reddita vesperis h. VIII.

Ther. Magister. bismuth. c. Magnes. carbon.

Vespere: T. 29, 6. P. 76. R. 32. Juris evomitus statim post ingestionem. Urina 850 CC. h. X antemerid. et h. VII vespert.

Jam quum evomitus perpetuo ac solum matutino vel vespertino tempore appareret, suspicio capta est, ne patiens suam ipsius urinam potavisset, ea tunica

induta est, quam vernacule Zwangsjacke dicimus, quo impedimento retineretur, ne manus ori vel vaginae insereret.

Die 30. mane: T. 29, 7. P. 96. R. 22. Evomitus serosus exilis. Th. Cataplas. vin. rubr. c. spec. arom.

Vespere: T. 30. P. 74. R. 30. Urinae 300 CC. Evomitus deficit.

D. 1 m. Maj. matut. temp. T. 29, 6. P. 84. R. 26. Sub nocte bis spasmi manuum; brachia torpida. Urin. 550 CC. nulla defaecatio.

Th. Inf. Senn.

Vesp. T. 30, 3. P. 92. R. 28. Defaecationes largae fuscae. Patiens inter colloquium, quod cum custode et aliis patientibus habuit, est confessa, se urinam, senis alicujus hortatu, convulsionum remedium potavisse. Simul veraces homines narrant, eam antea, sanguine vitellino poto, ad divites mendicandi gratia accessisse, ubi sanguinem evomuerit.

Th. Pill. argent. nitr.

Ab hoc tempore patiens bene se habuit, non amplius evomuit, dolores evanuerunt, convulsiones non redierunt urina sine molestiis reddi potuit, omnia morbi symptomata sublata erant.

D. 2. m. T. 29, 6. P. 80. R. 22. Urin. 550 CC.

Item diebus insequentibus ita ut femina quarto d. h. m. dimitteretur.

Tempore posteriori in policlinicen venit, de cephalaea questa et ventriculi catarrhi symptomata praebens.

Ex qua morbi ratione, e symptomatum complexu, eorumque vicissitudine, quorum ficta a veris ne separare quidem licet, vix alia proficiscitur diagnosis atque hysteriae.

Nam quod primum attinet ad jacturam illam sanguinis grandem, qua patiens initio se laborasse asseverat, de veritate ipsius relationis jure est dubitandum, quantumvis concedatur necesse est, aegrotam illam pallidissima et anaemica facie fuisse praeditam. Sed haud virisimile est, sanguinem modo ex genitalibus, modo e naso, modo ex auribus profluisse, modo evomitum esse. Dolores in regione dextri renis, ureteri, vesicae, porro ischuriae fabula licet de horum organorum morbo, exempli gratia nephritite uretritite suscipionem movere valerent, tamen certe evenisset, ut si alter tantum ren morbo affectus fuerit, alter ejus functionem sibi vindicaverit, quo facto, urinae secretae deminutio aversa fuisset. At vero stomachum renum functionem urinam secernendo suscepisse, ideo non erat verisimile, quod evomita et colore normalis urinae induta erant et urinaeinstar sese habebant, et uroxanthinum continebant; ac cetera symptomata, quae suppressa renum functione apparuissent plane aberant. Revera mirum est, quod aegrota urinam bibendi consilium ceperat, ob eamque causam policlinico instituto curandam se tradidit, quamvis ne minimi quidem commodi se participem fieri posse, non ignoraret.

Nysten[1]) sibi persuasum habet, urinae secretione

[1]) Recherches de physiologie et de chimie pathologiques pag. 278.

causa aliqua remissa stomachum creberrime renum vicibus fungi posse, quam suam sententiam duobus casibus approbatam putat, qui, cum multiplicibus molestiis, urinosi liquoris evomitum per plures menses eruptum esse docent. Verum dubitatio subit, num omnia sese, ut notavit, habuerint, et suscipio haud procul jacet, ne, ut in nostro casu, fraudulentis machinationibus actum sit. Etenim vix putandum est, universalem secretae urinae suppressionem tam diu constare posse, quin graviora symptomata vel etiam mortem non inferat.

Prevost et Dumas[1]) exstirpaverunt canibus, felibus, et cuniculis dextrum renem et praeterlapsis quindecim diebus, sinistrum. Altero demum rene erepto uraemica symptomata die tertio post operationem factam patebant. Fuscae ac tenues dejectiones, vomitus, febris exacerbationes accedunt. Temperatura ascendit ad calorem + 34,°5 R., pulsus parvus, frequens 200. Respiratio angusta et repressa. Bestiae animam efflant die quindecimo vel undevigesimo. Ambo renes simul exstirpantur, inflammatio ita progreditur, ut bestia vitam exhalet die tertio vel quarto. Obductione facta in cerebri ventriculis magna multitudo pellucidae lymphae inventa est, in pulmonum bronchis multum muci, hepar inflammatum, vesica fellea refertissima. In intestinis tenues faeces, fellis colore, vesica urinaria valde contracta. Cutis transpiratio harum bestiarum plane deficit. In sanguine aderat multa urea, quae forma crystallina extrahi poterat.

Secalas, Lutetianus, haec experimenta iteravit, et

---

[1]) Examen du sang bibliothec universal du science. 1821. 208.

in cane, altero tantum rene privato, ne unum quidem atomum ureae post quatuordecim dies invenit, ambobus tamen exsectis, magnam multitudinem.

Gaultier de Claubry [1]) etiam communicavit, hominem die decimo post urinae secretionis suppressionem obiisse et in alio casu, mortem aliquot menses postquam malum illud inceperit, secutum esse.

Stomachum vero cum renibus alternatim fungi posse, Bernardi et Barresii [2]) experimenta etiam luculentissime approbare videntur; qui quidem viri, renibus animalium exstirpatis, in multitudinem liquorum ammoniacalium in stomacho visceribusque inciderunt.

Reliquum est, ut capita dissertationis paucis comprehendamus.

Hysteria morbus est, cujus multiplicia symptomata et vera et ficta conjuncta reperiuntur, quae inter se discernenda non mediocri opus est ingenii acie.

Iis casibus, quibus renum functio debilitata et urinae secretio imminuta vel prorsus suppressa est, praecipue stomachus in renum vicibus fungi solet, ita ut revera liquor urinalis evomi possit. Qui quidem liquor nunquam tamen uroxanthinum continet.

Sed haec irregularis stomachi functio non nisi breve tempus existere potest, quum semper paulo post accedat uraemia, quae paucis diebus aegroti vitae finem facit.

---

1) Bibliotheque medicale 1825.

2) Archiv général de med. 1847. p. 457.

VITA.

Natus sum Radefeldii die XXII m. Januarii anno h. s. XXXI patre Henrico Valentino, tunc pastore apud Radefeldenses quem mors jam eodem anno, quo natus sum, mihi eripuit, et matre Guilielma e gente Kluge, quam ut multos etiam per annos mihi servare velit Deum oro atque obsecro.

Primis discendi rudimentis instructus a Friedrich, pastore apud Freirodenses, tutore meo ac fautore, traditus sum a. 1844 scholae ad St. Thomae aedem, quod gymnasium Lipsiense dirigit Exc. Stallbaum, qui adjutis praeceptoribus doctissimis beat. Hohlfeld, Koch, Zestermann, beat. Guenther, beat. Haltaus aliisque me introduxit in literas. Fidei addictus sum evangelicae.

Sex annis absolutis, examine maturitatis rite superato ad litterarum universitatem Lipsiensem, ut studiis medicinae operam navarem, me contuli. Academiae civibus adscriptus sum Rectore Magnifico Buelavio d. 25. m. Octobr. a. h. s. 51.

Hi me docebant praeceptores: Exc. Kneschke medicinae encyclopaediam et methodologiam historiamque, Exc. E. H. et E. Weber fratres anatomiam et specialem et generalem nec minus artem cadavera rite secandi. E. H. Weber et Exc. Funke physiologiam nec non embryologiam. Exc. Mettenius botanicam scientiam; Exc. Naumann mineralogiam et meteorologiam; Exc. Poeppig zoologiam et zoologicas explorationes; Exc. Hankel res physicas; Exc. Erdmann chemiam. Exc. Drobisch logicam et psychologiam. Exc. Carus anatomiam comparatam. Exc. Clarus pathologiam et therapiam generalem, et pharmakologiam et artem formulas scribendi.

Sub anni LIII autumnum in academiam Fridericianam Halensem emigravi, ubi disserentes audivi de pathologia ac therapia speciali Ill. Krukenberg; de chirurgia generali et speciali Ill. Blasius, de arte obstetricia Exc. Hohl.

Semestri spatio interrupto iterum me Lipsiam contuli et ab Ill. Haenelio t. t. Rectore magnifico civium academicorum numero adscriptus, in studiis medico-practicis habebam hos praeceptores: Exc. Bock in anatomia pathologica; Exc. Guenther in chirurgia et akiurgia; Ill. Ruete in ophthalmologia; Ill. Wunderlich in pathologia et therapia generali; Exc. Wendler in medicina forensi; Exp. Coccius in diagnostice physicali.

Scholas clinicas frequentavi his ducibus: medicam Ill. Wunderlich, chirurgicam Exc. Guenther, obstetriciam Ill. Joerg et Germann, per tria semestria, ophthalmiatricam Ill. Ruete per duo semestria; medico-policlinicam eodem et Ampl. Hennig per unum.

In operationibus in cadaveribus instituendis Exc. Guenther et Exp. Schmidt; in operationibus obstetriciis Exc. Hohl et Germann; in ophthalmiatricis Exp. Coccius; in sectionibus pathologicis Exc. Bock; in fasciis ligandis Exp. Berger mihi duces erant.

Quibus quidem omnibus praeceptoribus ob summam erga me benevolentiam et humanitatem, non possum, quin gratias agam quam maximas, semperque me constantissimam memoriam retenturum affirmo.

Jam vero tentamine philosophico, et tentamine medico atque examine rigoroso rite superatis, spero fore ut dissertatione et thesibus publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Theses defendendae.

I.

Abortus artificialis non prorsus rejiciendus.

II.

Cholera morbus non est contagiosus.

III.

Usum calomelanos in prima typhi abdominalis hebdomade non omittendum esse.

IV.

Syphiliticam dyscrasiam, remediis antisyphiliticis, qualibuscunque adhibitis, reprimi, nec vero e corpore posse penitus exterminari.
